

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 60. (*Neovidensis* 1806. Nro. 53.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica

De querelis adversus malum mundum.

Elysium - Meum. - Die Martis 15. Julii 1806 (*Neov.* I. Julii 1806.)

Sententia:

Mundus fit semper deterior; Tempora vergunt constantiter in pejus.

Quotidianæ lamentationes.

Evolventes historiam inventorum novorum Philosophicorum systematum animadvertimus infelicibus his temporibus invaluisse doctrinam, hunc aspectabilem mundum esse omnium aliorum optimum: Probabilius, ut moerore confectos homines solentur. At Pseudo-Apostolus Voltæri, famosus ille Panglossius cum sua alumna Candida debuisset mundum maximo privare solatio, quem tamen ad risum concitavit.

Formula loquendi: *Mundus fit semper deterior*, figurata est, & cum altera simili: *Tempora vergunt constantiter in pejus*, non plene idem significans. Illa denotat solummodo moralem perturbationem, & ingravescentem corruptelam generis humani, hæc autem tam

moralem, quam physicam ruinam. Si mercator, opifex non videat optatum suorum negotiorum successum, non conqueritur de malo mundo, sed de malis temporibus. Interim posterius adagium tunc etiam adhibetur, cum generatim consideratio status hominum non favet præsentibus rerum adjunctis. Quia tamen utrumque proverbium eandem patitur incusationem, adeoque etiam æqualem admittit defensionem, merito simul examinari potest.

Idea de increcente hominum corruptione, & cursu rerum potest pro naturali omnium populorum opinione haberi, cujus origo antiquissimorum temporum tenebris involuta est. Ejus vetustas demonstrat eam esse necessarium sensim se evolvens ingenii effectum, adeoque in ipsa natura humana habere fundamentum. Reperitur in historiis antiquissimorum populorum, in veterrimis Poëtarum operibus, in reliquiis vetustissimorum adagiorum adeo, ut videatur esse universalis omnium cogitationum, & sensuum partus. Quare maxime naturale foret, cogitare tempus, quod melius fuisset illo, quod expostulatione proscindimus. Historicus, & Poeta initium operis sui facit a bono, ab aureis temporibus, & felicissimo statu. Sed hæc felicitas paulo post disparet instar jucundi somnii, & ruina in morale, & physicum malum nequit declinari. Homines fiunt in dies magis perversi, & improbi, tempus autem ad promovendam

eorum felicitatem minus aptum, ut adeo nis nihil sit amplius reliquum, quam ut suam existentiam defleant, & fixis suspiriis animum erigant. Inde natum est illud Græcorum: *Fuimus Troes, & Latinorum: tempora expectamus meliora.* Inde multitudo querimoniarum de duro hominum fato, inde inconditus clamor contra iniquitatem temporum; meræ eruptiones humani sensus, quæ veræ, & falsæ esse possunt.

Hæc methodus philosophandi de moralitate, & cursu temporum non erat soli antiquitati propria. Nostra etiam ætate multis probatur opinio de grassante morum corruptela. Notæ enim sunt lamentabiles querelæ de incerta conditione hominum, de jactura fidelitatis, fidei, antiquæ probitatis, vi cujus olim pressio manus majoris fuit ponderis, quam hodie maxime solenne jusjurandam, Item de inveterata proclivitate alios fallendi, & calumniandi, de universali lucri studio, & pluribus id genus vitiis. *In verbis sumus faciles.* — Ex his patet, ubi quærenda sit perfectio moralitatis, nimirum apud nostros veteres germanos. Estne autem hoc verum, vel minus?

Constat inter omnes, hodie propugnari Germanicam Nationem in omnia vitia ruere, & manifesto appropinqvare interitui. Id ei potissimum vitio datur, quod a primæva sua dignitate quam longissime recedat, omnia illa signa, quibus olim ab omnibus aliis nationibus, distinguebatur, amiserit. Quam in

rem argumenta desumuntur ab ejus luxuriosa, & immoderata vivendi ratione, ab effæminata mollitie, ac denique a jactura pristinae morum probitatis. Non estne autem clarum, argumentationem hanc ductam esse a singularibus ad omnes, & commemoratam totius nationis depravationem commentitiam esse, nam tantum apud singulares personas, & in urbibus majoribus potest habere locum? Nolo pluribus veritatem hujus accusationis prosequi; Non libet diversas Germanorum ætates percurrere, ut manifestam, eamque splendidam inter hodiernam, & cunctas alias ostendam dissimilitudinem; Nihil dicam de ægresti veterum Germanorum vivendi ratione, non commemorabo vim, jusque fortioris, quo omnes possessiones dirimebantur, silentio præteribo tempora fanatica, odium religionis, & barbariem, quibus tunc nomini germanico macula inusta est, & omnes provinciæ vastatæ. Illud etiam prætermittam, nostra memoria germanum, ut militem, ut eruditum, ut artificem, verbo: ut totius mundi æstimatissimum civem jam dudum in tam excellenti gradu consistere, quem hætenus nemo assecutus est, & multos in admirationem rapuit. Id unum præ cæteris subijciam: de indole Nationis non esse judicandum ex nonnullorum singularium desidia, & vitæ licentia; tale etenim judicium refellit major pars utriusque sexus ruri habitantium. Quod me attinet, ingenue fateor, hodiernos Germanos, prisca adhuc virtute, fide, ac

moribus præditos, si aliis in exemplum proponendi essent, a temporibus cumprimis Guttenbergii, & Leibnicii abunde demonstratos, Mundum hunc continuo ad majorem tendere perfectionem, minime vero ruere in pejus. Sed etiamsi invaluerunt apud ipsos quædam vitia perniciosi luxus, & levitatis animi præsertim a contracta cum Gallis notitia, illa tamen toti nationi attribui nequeunt, & nec superant bona, quæ ex illo tempore in eorum territorio in diverso genere ad maturitatem pervenere.

Contra dictam sententiam ex eo etiam nova obmovetur difficultas, quod supponat plura esse in mundo mala. Si enim pluribus afflueremus bonis, tam homines, quam tempora, ad minimum in genere longe meliore essent loco, sed quia malorum major est copia, fortiorem esse oportet hunc hostem. Certe hoc denotant prolatae querelæ, vel sunt inanes. Jam autem omnes magistrorum, & Philosophi, & qui de mundi eventibus fusas, vel compendiaras fecerunt animadversiones, uno ore fatentur, longe plura esse bona, quam mala, sic v. g. plures dari dies jucundos, quam tristes, sæpius lucere solem, quam pluere, aut procellam sævire, plures homines bene valere, quam cum morbis conflictari, majorem regnare amorem erga bonum, & pulchrum, quam erga malum, & turpe, adeoque rerum confusionem esse tantum exceptionem a regula generali. Quapropter non perspicio,

rem argumenta desumuntur ab ejus luxuriosa, & immoderata vivendi ratione, ab effæminata mollitie, ac denique a jactura pristinæ morum probitatis. Non estne autem clarum, argumentationem hanc ductam esse a singularibus ad omnes, & commemoratam totius nationis depravationem commentitiam esse, nam tantum apud singulares personas, & in urbibus majoribus potest habere locum? Nolo pluribus veritatem hujus accusationis prosequi; Non libet diversas Germanorum ætates percurrere, ut manifestam, eamque splendidam inter hodiernam, & cunctas alias ostendam dissimilitudinem; Nihil dicam de ægresti veterum Germanorum vivendi ratione, non commemorabo vim, jusque fortioris, quo omnes possessiones dirimebantur, silentio præteribo tempora fanatica, odium religionis, & barbariem, quibus tunc nomini germanico macula inusta est, & omnes provinciæ vastatæ. Illud etiam prætermittam, nostra memoria germanum, ut militem, ut eruditum, ut artificem, verbo: ut totius mundi æstimatissimum civem jam dudum in tam excellenti gradu consistere, quem hæcenus nemo assecutus est, & multos in admirationem rapuit. Id unum præ cæteris subjiciam: de indole Nationis non esse judicandum ex nonnullorum singularium desidia, & vitæ licentia; tale etenim judicium refellit major pars utriusque sexus ruri habitantium. Quod me attinet, ingenue fateor, hodiernos Germanos, prisca adhuc virtute, fide, ac

moribus præditos, si aliis in exemplum proponendi essent, a temporibus cumprimis Guttenbergii, & Leibnicii abunde demonstratos, Mundum hunc continuo ad majorem tendere perfectionem, minime vero ruere in pejus. Sed etiamsi invaluerunt apud ipsos quædam vitia perniciosi luxus, & levitatis animi præsertim a contracta cum Gallis notitia, illa tamen toti nationi attribui nequeunt, & nec superant bona, quæ ex illo tempore in eorum territorio in diverso genere ad maturitatem pervenere.

Contra dictam sententiam ex eo etiam nova obmovetur difficultas, quod supponat plura esse in mundo mala. Si enim pluribus afflueremus bonis, tam homines, quam tempora, ad minimum in genere longe meliore essent loco, sed quia malorum major est copia, fortiorem esse oportet hunc hostem. Certe hoc denotant prolatae querelæ, vel sunt inanes. Jam autem omnes magistri morum, & Philosophi, & qui de mundi eventibus fusas, vel compendiaras fecerunt animadversiones, uno ore fatentur, longe plura esse bona, quam mala, sic v. g. plures dari dies jucundos, quam tristes, sæpius lucere solem, quam pluere, aut procellam sævire, plures homines bene valere, quam cum morbis conflictari, majorem regnare amorem erga bonum, & pulchrum, quam erga malum, & turpe, adeoque rerum confusionem esse tantum exceptionem a regula generali. Quapropter non perspicio,

qua ratione possit audax illud assertum excusari, cui quotidiana contradicit experientia. Et reipsa, si corruptio morum in mundo ita cresceret, quemadmodum in phantasia nonnullorum, ejus fundamentum quærendum foret in multitudine variorum malorum; In eo enim consistit summa antiquarum lamentationum, quod pravitas tanta capiat incrementa, ut ea veluti Hydra quædam omnia bona, quæ adhuc in mundo sublunari reperiuntur, abliguriat.

Ex his considerationibus manifestum est, quomodo comparati sint fontes, ex quibus profluxit opinio de acerbitate temporum, hominumque malitia, atque in præsens adhuc derivatur. Omnes sunt inquinati, incerti, nullam habentes firmitatem. Id etiam inde elucet: Ideam de progressu in pejus potissimum apud infimam hominum classem, apud melancholicos, & extra ordinem patientes, ac infelices quasi domesticam esse. Nam in statu melioris fortunæ, a sana, matura, & a præjudiciis libera ratione pro vera nunquam adhuc adoptata est. Sed quomodo hoc etiam fieri posset, cum hæc sententia gravissimis obnoxia sit difficultatibus?

Verum paulo post finis imponetur omnibus querimoniis, aurea sæcula, reaque secundæ appropingvant, Gallia & Anglia tractant de pacis conditionibus; spes optima (O consolatrix! reple nostra desideria!) affulget. Propediem ubique personabit exoptata pax: Hollandicæ ephemerides continent gra-

ves res Londino de 20. Junii. Inde a 5. hujus de pace miscentur sermones; namque Lordius Elgin, Lordius Jarmouth, & duo filii gloriosæ memoriæ Generalis Abercrombie, qui hæctenus ut bello capti in Gallia detinebantur, obtinuerunt facultatem redeundi in Angliam; Hos gallica navis pacificationem ferens deportavit in patriam. Spes hæc isto etiam argumento confirmatur: Lordius Jarmouth ditissimus Anglus paulo post iterum Parisios reversus est; præterea plures Aulici affirmant, Dominum Jakson, qui ex Aula Borussica revocatus erat, iterum Berolinum rediturum. Est etiam Cursor expeditus ad novum Anglicum legatum Vindobonæ residentem, ut se quamprimum cum Russico Status Consiliario Domino Oubril Parisios conferat, Pace mea dubitent de pace increduli, quantum volunt; certum tamen est, heri 19. Junii apud Dominum Fox habitum esse Status Consilium, cui intererat Cancellarius, Comites Spencer, & Moira, item Milordii Grenville, Hovick, Petty, Sidmouth, & Dominus Vindham, hocque terminato dimissos esse nuncios Petropolim, & Vienneam. Cuncta hæc corroborantur rumoribus Parisinis: Lordium Jarmouth 17. Junii advenisse Parisios cum speciali mandato, & proxime assumpturum personam Anglici Ministri plena rerum agendarum potestate instructi.

Ad hanc felicitatem accedit etiam fertilitas hujus anni & lætissima spes copiosi

tam frumenti, quam vini; ubique cernitur manus Omnipotentis Dei, qui dona omnibus largitur, sed etiam novus ordo politicus novam adferet beatitatem.

Publicandum.

Francisco Steer, Pro - Seniore Grammatico Professore in Gymnasio Tyrnaviensi, die 23. Maji a. c. e vivis decedente, pro vacante 2-da Grammatica Cathedra Concursum celebrandus, benigno gratioso d. d. 17. Junii a. l. Nro 10833. dimisso Intimato disponitur.

In cujus consequentiam, concursus literarii Publici penes hanc Regiam Academiam, & Archi - Gymnasium habendi terminus in diem 15. tam affuturi mensis Septembris defixus publicatur.

3) *Nuncium.*

Effigies, harum Ephemerid. Nro. 10. pag. 121. No. 12. p. 141. annunciatæ præcipua Acta, & Gesta SS. Papæ Pii VI. exprimentes, atque a celeberrimis chalcographis aeri incisæ, Nro XX. Romajam advenere. Quare orantur DD. Prænumerantes, velint easdem, missis 40 fl. pro portorio vero 3 fl. in summa: 43 fl. una cum Apocha super prænumeratis 20 fl. a nobis data, gratiose recipere.
